



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De hæreticis. Consilium DLXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

genda sit, ut non obtineat nisi ex tempore, quo pater convictus condemnatus est, *S. aliter. d. l. Quisquis.* Cum alioqui etiam huiusmodi poena quoad filios locum non habeat nisi in primo capite legis Iuliae Majestatis, cum pater perduellionis est reus, *Nic. Boerius in tract. de sedition. nu. 20. & duobus seqq. Hieron. Gigas lib. 3. de crim. laesa Maest. quest. 1. in fine.* Sed ut auctoris, & ejus, qui proprio delicto laborat, poena major sit, dicimus illi locum esse ex die contracti delicti, tam in crimine haereseos, quam Majestatis, *l. Donationes §. perfecta de donat. l. penult. & ult. C. ad leg. Iul. Maest.* quae in hoc articulo confiscationis bonorum, & inhabilitatis seu incapacitatis personae, sunt adaequata, *d. c. Cum secundum, d. l. Manichaeos.*

18 Neque admittenda est distinctio, quam fiscus ex Aegidio Bossio adfert, in tract. crim. tit. de haeret. nu. 8. inter bona & personam haeretici: quasi illa facilius fisco obnoxia fiant, etiam sine sententia declarationis; haec autem omnia inhabilitatis vitia contrahat à condemnatione seu declaratione Iudicis: quia vera non est, nec bona fide à fisco refertur. Nam hoc tantum tradit ille, ad hoc, ut executio in personam fieri possit, sententiam requiri; quod verum esse jam antea admisimus; sed ut ipso jure inhabilis & incapax sit, non requirit huiusmodi antecedentem sententiam. Quinimò aperte dicit, quod ut haereticus ipso jure excommunicatus est per canonem latae sententiae, *d. c. Excommunicamus in princ.* ita quoque quoad personam pro damnato habetur, ut sit diffidatus (hoc enim verbo utitur) apud omnes gentes, in *Auth. Gazatos;* eo tantum requisito, ut cum de executione & effectu huiusmodi poenae agitur, requirenda sit declaratio (ut in proposito sit) quae vires suas in preteritum etiam exerceat: ut expresso jure cautum est, in *d. c. Accusatus §. in eo vero de haeret. lib. 6.*

Nec ea in re fisci aliquis favor in considerationem venire debet: quasi in Principis avario magis expediat, effectum incapacitatis serius injici; ut interea licet reus accipere non possit, capax tandem censeretur possit ad commodum fisci, & ad capiendam sibi delatam hereditatem, *l. aliud est capere de verb. signif.* quia lex uniformis est; & quemadmodum incapacitas, quae filiis damnati in successione testamentaria aut legitima agnatorum vel cognatorum ex primo capite criminis laesae Majestatis infligitur, non prodest fisco, sed aliis defuncti agnatis vel cognatis, *d. l. Quisquis, d. c. Filij;* ita quoque ipsius damnati ex crimine haereseos incapacitas, nusquam ad compendium fisci refertur.

Quinimò aperto jure, *l. Cognovimus & Authent.* 19 Idem est *Cod. De haeret.* (quod in re proposita jugulum causae petit) constitutum est, successionem parentis orthodoxi, qui liberos haereticos superstitit relinquit, non pertinere ad huiusmodi liberos haereticos, neque etiam ad fiscum, sed ad alios defuncti agnatos vel cognatos orthodoxos; quibus deficientibus fiscus demum succedit, non ex persona liberorum haereticorum, sed suo ordine: ut regulariter deficientibus agnatis & cognatis bona velut vacantia ad fiscum pertinent, *l. Vacantia Cod. De bonis vacan. lib. 10.* Quod certum indicium est ex delata tantum hereditate haeretico nihil acquiri, nec inde ab eo ad fiscum

aliquid juris transferri, ne quidem ex parentum haeretici hereditate, in qua tamen magis est continuatio quam acquisitio domini, *l. In juis de juis & legit.*

Novissimè intentionem fisci nihilo solidior rem facit allegatio, quod tam ex consuetudine, 20 quam constitutione Caesarea ac Regia, jus contractus haeretico permixtum sit; quasi permixto contractu, jus quoque successionis permixtum videatur. Nam perquam infirmum est hoc genus argumentandi à contractibus ad ultimas voluntates seu successiones etiam affirmativè assumptum in correctoriis, dum agitur de correctione juris communis inclusi corpori juris: quia correctio aut permissio seu concessio adversus prohibitionem juris communis non extenditur ad horum alterum. Ita enim vim argumenti à contractibus ad ultimas voluntates affirmativè conceptum restringit & limitat Nicolaus Everardi Praefes, in loco à contractibus ad ult. voluntates & contra; cujus auctoritate fiscus nititur propositam consuetudinem (de qua tamen nihil apparet) & novam Caesarem ac Regiam constitutionem circa contractus extendere ad ultimas voluntates; de quibus cum nihil extet in observatione dictae praetensa consuetudinis; neque in praeterea nova constitutione; firma manere debet juris communis dispositio, quae constructum errore seu crimine haereseos facit incapacem omnis successionis agnatorum ac cognatorum, *d. l. ult. Cod. De haeret.* Quamvis & hoc verum sit, novam constitutionem permittere jus contractuum, propter commercia cum extraneis mercatoribus, qui alioqui decipi possent ex occulto crimine haereticorum, non cum quibuscvis aliis. Proinde officium Amplissimorum Dominorum esse existimamus, ut secundum petitionem & conclusionem Domicelli Antonii, tamquam proximi & unici haeredi dictae Dominae Annae, per omnia jus dicant.

De haereticis.

SUMMARY.

Confiscatio bonorum ex causa haereseos, an per consuetudinem vel statutum impediatur.

1. Princeps alienans emptorem securum facit.
2. Haereticus heredem non habet.
3. Haereticus etiam post mortem condemnari potest.
4. Consuetudo abrogans confiscationem bonorum ex delicto non extenditur ad crimen laesa maiestatis aut haereseos.
5. Statuta quae abrogant poenas delictorum non procedunt in crimine laesa maiestatis.
6. Statuta laicorum adversus Canonicas sanctiones facta per principem tolli debent.
7. Apostata in successione non habet & intestabilis est.

CONSILIUM DLXXIX.

V I s o processu, quem Gerardus Swafken tamquam maritus Adrianæ Becom Actor instituit, adversus D. Goswinum van Raesvelt Reum ad restitutionem praedii in actis designati cum suis pertinentiis, videtur nobis subscriptis, quod sine ulla haesitatione Reus ab impetitione Actoris absolvi debeat;

1. beat; idque ex rationibus sequentibus: * Clare etenim per exhibitionem literarum donati nris constat, Carolum Quintum Imperatorem Anno 1545. ex causa obsequiorum, meritorum, ac remunerationis, præfato Reo donasse omnia & singula bona quondam Mariæ B. quæ (ultimo supplicio de dicta Maria propter insaniam Anabaptistarum hæresim sumpto) confiscata ac domanio patrimonioque Principis incorporata prius fuerant; ita ut post tanti temporis, hoc est sedecim annorum lapsum, Reus propter dicta bona conveniri non poterit. Qui enim rem alienam à Principe accipit, statim adversus dominum tutus est; relicta tantum actione ad pretium usque ad quadriennium, *l. bene à Zenone C. De quad. præscrip.* Præsertim quia ex instrumento donationis constet, Principem hæc bona ultro & ex causâ, non ad simplicem petitionem Rei, donasse, *l. 1. & 2. C. De pet. honor. sub lib. 10.* Sic quod ex hac consideratione amplius laborandum non sit pro sustinendo jure Rei, & excludendo Adversarij à limine judicij: nam exceptio deficientis actionis potentissima est, & ingressum judicij præcludit, *l. si pupilli §. videamus de negot. gesti. & ibi Gloss.*

2. Quâ tamen consideratione remota, perinde adhuc tutus est Reus, propter confiscationem & publicationem bonorum dictæ Mariæ ex causa hæreseos factam, quæ impedit devolutionem testatæ atque intellectatæ successione, *c. Vergentis De hæres. c. Cum secundum eod. tit. lib. 6.* Nam qui in eâ causâ est, hæredem non habet, sed fiscus bona ejus aufert, *l. ult. c. de iure fisci lib. 10. & ibi Gloss.* † Quod usque aded in crimine hæreseos obtinet, ut etiam si indemnatus mortuus sit, qui in hæresim prolapsus est, possit a seculari, convincti, & condemnari etiam post mortem; & in consequentiam bona ejus confiscari, ac hereditibus aliisque quibuscumque possessoribus eripi, etiam si per multorum manus transierint, *d. c. Cum secundum & ibi Geminianus, Ignem in repetit. l. Necessarios §. non alias nu. 17. Ad §. c. Syllam. cui hæresis assimilatur, l. quisquis C. Ad leg. Jul. maiest.*

4. Nec potest vis aut effectus confiscationis impediri ex allegatâ consuetudine seu lege municipalit; quâ obtentum dicitur, neminem ex crimine bona & corpus posse committere. Nam potest ea consuetudo locum habere regulariter, & in communium criminum ultionibus; sed produci nequit ad graviora crimina læsæ divinæ aut humanæ Majestatis; in quibus propter gravitatem & majorem indignationem, speciali constitutione confiscatio est prodita, *d. l. Quisquis C. Ad leg. Jul. maiest. Authent. Gazavos C. De hæres.* tum quia generalis dispositio numquam extenditur ad ea, in quibus specialis cautio invenitur, *l. Sanctio legum de panis;* tum etiam quia non est verosimile in principio inductæ consuetudinis, cogitationem utentium eâ usque progressam esse, ut etiam reos læsæ divinæ vel humanæ Majestatis eximeret à confiscationis periculo, quos publicè interest, propter offensam Majestatem divinam vel humanam, acerbissimis pœnis affligi, liberis eorum, ablatis bonis & fisco applicatis, in calamitosa paupertate sordescibus; propter formidata exempla paterni criminis, improbi sanguinis continuationem, *d. l. Quisquis & Conf. Wamf. Tom. II.*

d. Adib. Gazavos, c. Præsidentes & ibi Doct. de hæres. lib. 6. sic ut publicam utilitatem confiscatio hoc casu respiciat; cui non debet videri derogatum per hujusmodi consuetudinem, *l. si aliquando C. De operib. publ. ** Unde eleganter scribunt Baldus, in *l. 2. C. An servus ex suo facto &c.* Angelus, & Iason, in *l. Beneficium de cons. vrim.* statuti civitatum aut legibus patriæ numquam eam interpretationem accommodandam esse, ut derogent utilitati publicæ. Et hæc ratione Angelus, in disputat. sua incip. *Exorta genera,* ad rem propositam convenientissimè scribit, quod statutum concedens generaliter absolutionem his, qui deliquerunt, non intelligatur de delinquentibus in crimine læsæ Majestatis: cum enim ita sit in statuto generaliter observato, dubio procul idem admittendum est in consuetudine, quæ iuri communi adversatur, & quæ in facto consistit, nec terminis facti, in quibus observata est, egreditur.

Et prædicta proclivius adhuc admittenda sunt; ob id, quod non solum non extent exempla productæ consuetudinis ad crimen hæreseos: sed in contrarium proferri possint exempla, quibus ostenditur (restrictâ consuetudine ad vulgaria crimina capitalia, quæ de jure Pandectarum secum trahebant confiscationem, *l. 1. de bonis damnat.*) in crimine hæreseos consuetudinem admissam seu observatam non fuisse. † Et tanto proclivius iterum admittenda sunt; ob id, quod statutum seu lex laicorum, quæ poenam confiscationis adversus canonicas sanctiones remittit, per Principem tolli debeat; possitque etiam secularis magistratus per Iudicem Ecclesiasticum cogi, ut hujusmodi statutum tollat, *Ancher. in c. Statutum De hæres. lib. 6.* quia hoc delictum spirituale & Ecclesiasticum est, cujus coëctio per laicos neque directè, neque per indirectum impediri potest; quod fieret, si confiscatio bonorum in parte vel toto tolleretur, ut elegantibus rationibus deducit Paulus Parisius, *consil. 2. nu. 104. vol. 4.*

Nec est prætermittendum, quod tametsi consuetudo illa aliquando latius observata fuisset; nihilominus tamen vis & potestas ejus cessaret nunc, posteaquam Cæsareo edicto publicatio seu confiscatio bonorum reprobata religionis hominibus inflicta est, etiam cum speciali derogatione omnium contrariarum consuetudinum: maxime cum idem edictum per ditionem illam, in qua hæc causa agitur, jam diu publicatum fuerit atque observari cœperit in coercendis hæreticorum improbatas ac seditiosis dogmatibus. Nam cum ab anno quadagesimo supra millesimum quingentesimum incolæ illius ditionis publicationi dicti edicti acquieverint, non est ratio, cur ex intervallo prætextu consuetudinis illi reclamare in tam gravi crimine possint aut debeant. Sic ut Iudices præsentis causæ adversus confiscationem ex edicto illo legitimè irrogatam, vel etiam contra donationem Imperialem Reo convento factam, nihil attentare possint aut debeant sine evidenti legum & canonum contraventione; ac Cæsarei edicti neglectu & antiquatione: quæ tum propter auctoritatem statuentis, tum propter utilitatem reipublicæ, fugienda est maxime.

Ggg

Illud

Illud quoque potenter A&ori obstat, quod Adriana ejus uxor, ex cujus capite agit, per se quoque intestabilis sit, & jus successionis non habeat, propter Apostasiam, l. *Hi qui sanctam C. De apostat.* quod scilicet relicto habitu sui monasterij, in quo votum religionis emiserat, ad vitam secularem ac matrimonium convolaverit, c. *1. de apostat.* ita quod in omnem eventum ex legitima successionem Mariæ suæ sororis, si quæ esset, nullum ius prætereundum posset: præsertim quia non proferat literas Apostolicas, quibus voti relaxatio, & matrimonij habendi potestas ei permessa fuerit; neque etiam placitum Principis super usu hujusmodi literarum, nec declaratoriam sententiam Iudicis, qui ex stilo Romanæ curiæ delegari solet, super verificatione & cognitione narratorum atque exppositorum pro obtinenda hujusmodi relaxatione seu dispensatione.

Novissimè nec hoc omittendum, quod A&or apertè protestetur se agere ex cessione fratris uxoris suæ Ioannis, cum protestatione, quod alià qualitate hanc litem non instituat: cum tamen in deductione juris sui ex cessione hujusmodi causam non fundet, neque mentionem Ioannis, aut hujusmodi cessionis ullam faciat; eaque ratione se contrarietati involvat, ac petitionem suam improbabilem inextricabilemque faciat, dum quod vult non potest, & quod se posse putat, non vult, l. *In ambiguis de reb. dubijs*: agendo scilicet ex cessione, quam non habet; & deducendo ius ex capite suæ uxoris, cum protestatione, quod ex eo iure agere aut concludere nolit. His itaque rationibus concludimus, secundum Reum ferendam esse sententiam tam quoad abolitionem, quam expensarum condemnationem.

De Homicidio.

S Y M M A R I U M.

De homicidio ex inculparâ tutelâ.

1. Vulnerans de homicidio tenetur sequutâ morte etiam ex intervallo.
2. Dolus requiritur ut quis de homicidio teneatur.
3. Vulnerans præsumitur magis offendendi quam defendendi studio illatum.
4. Defensio licita est.
5. Probationes imperfectæ prosunt Reo.
6. Fuga in rixa offensionis præsumptionem diluit.
7. Rixosus naturâ pugnam incepisse præsumitur.
8. Fugere qui potuit an excusetur ab homicidio.
9. Fugere cum periculo vite nemo debet.
10. Inimicitie cum nulla præcedant non præsumitur quis dolo malo aggressus.
11. Cognati inidonei testes in criminalibus contra reum.
12. Vulneratus mortuus quando præsumitur ex vulnere decessisse.
13. Causam mortu qui præbet ei mors imputatur.
14. Fuga Rei accusati an probet delictum.
15. Testium numerus per Iudicem restrenari debet, excepta Rei causâ criminali.

CONSILIVM DLXXX.

PRO demonstratione innocentie Domini Bartholomæi Starom de homicidio inquisiti seu accusati per Universitatis Promotorem, paucula ex actis evidenter apparentia, pro sublevando Domini Aggressoris labore, refricanda esse arbitrati sumus. * Et sanè quavis perinde teneatur pœnâ homicidij, qui vulneravit tantum, si ex vulnere per intervallum sequuta sit mors; atque is qui vulneravit, ut confessum vitâ privetur, quod iustus est, l. *Ita vulneratus §. 1. Ad leg. Aquil. l. Nihil interest Ad leg. Corn. de sicar.* * neutro tamen casu homicidij pœnâ constituenda est, si absque dolo malo vel cædes facta, vel vulnus inflatum est; sic ut nec lata culpa sufficiat, l. *1. §. Divus Hadrianus l. In lege Cornelia Ad leg. Corn. de sicar.* omniumque minimè, si iure permittente alterutrum factum sit, l. *Is qui aggressorem, l. Si quis percussorem cum l. §. C. Ad l. Corn. de sicar. l. Gracchus C. Ad leg. Iul. de adult.* Pœnâ (inquam) hinc illa, quæ pro voluntario homicidio imponitur, c. *1. de homicid. l. Eiusdem §. legu Cornelia Ad leg. Corn. de sicar.* five illa, quæ pro casuali homicidio statuta est, d. *§. Divus Hadrianus*; utroque enim casu æquum non foret pœnam aliquam irrogari ex facto non planè improbat, d. *l. 1. §. qui aggressorem.*

Nunc itaque quia in ea causa est præfatus Reus ut nihil ei ad dolum, nihil ad culpam imputari possit; consequens esse videtur, ut ab obicæto homicidio absolvatur: nimirum quia Reus neque confessum occidit, ut ex rei evidentia apparet (vicesimo enim die ab accepto vulnere decessit M. Michael Hernert.) neque etiam vulnus sic inflavit, ut propterea in reprehensionem venire debeat; idque ex duplici causa, five quia eas circumstantias habet ipsi factum; five quia vulnus inflatum in ea causa est, ut mortiferum judicari non debuerit. † Nam quavis in dubio, deficiente aperta probatione contrarij, præsumatur magis offendendi studio (in quo dolus non potest non esse) quàm defendendi animo vulnus inflatum, aut cædes perpetrata, Ioan. And. in c. *Significavit De penitent. & remiss. Bald. in c. De pace tenenda & in l. Vi vim De iust. & iure*; & in eo culpa præsumatur, qui percussit aut laesit, l. *1. §. cum arietes Si quadr. pauper fecit. dicatur, Bart. in l. Ex plagis §. tabernarium Ad leg. Aquil. Gloss. l. Si non convixit C. de iniurijs*: cœne enim quod malum est, aut in maleficium sonat, iniuste & pro seu culpa actum præsumitur, nisi contrarium probetur, quia est de genere prohibitorum, c. *1. De præsumpt. Bald. in c. Sicut de sent. & re iud.* quia tamen evidentissimè probatum est ex parte Rei Michaellem, non Reum fuisse aggressorem aut provocantē ad pugnam seu rixam, in qua Michael vulneratus fuit, in contrarium agenda est omnis præsumptio: quia scilicet non offendendi, sed defendendi sui causâ Reus Michaellem vulneraverit, d. *§. cum arietes, l. Quoniam multa C. Ad leg. Iul. de vi publ. & ibi Cynus.*

Licita enim est defensio adversus illatam vim, d. *l. Vi vim*; sic ut debeat expectari usque dum aggressor percussit, aut vulneret, l. *Item apud Labencem §. 1. De ini. Gloss. m. l. 1. C. Unde vi & ibi Bart.* Calor enim iracundiæ, in quæ aggressor invalum con-